

*subtendente sua : sed per numeros aliter deprehenditur.*

CLAVIVS.

TE quisquam, vt non Illustrissimum obmurmuret? aut vetusta nobilique familia genus trahere suspicetur? Immo tuus hic paralogismus adeo nobilitate præstat, in te vt nobilitatem suam deriuare potuerit. Audite vero, quicumque estis, ad quos librum hunc suum longam post expectationem Scaliger tandem conscripsit; audite Geometriæ & Arithmeticæ consultissimi viri sententiam, atq; ab ea, veluti ab vngue leonem, quod aiunt. Non leue, nõ vulgare est, quod docet. Demonstrasse enim se putat egregium paradoxon, polygonum scilicet 12. laterum, aut plurium habere ambitum maiorem peripheria circuli circumscribentis. Quam multa Scaliger vno in mendacio mendacia confingas, nondum animaduertis? Equidẽ quàm multa in hac tua ineptissima demonstratione (vt tecum eam appellem) vitia deprehendantur, proximè ostensum est. Illud tamen palmare est, & quod non inscitiam solum, sed & temeritatem, & impudentiam arguit. Quis enim æquo ferat animo, te Archimedi tam iniuriose imponere? Etenim ille *ἑπτασὴν μὲν* per numeros inquit perimetrum circuli, demonstratque, peripheriam circuli ad eius diametrum proportionem habere minorem tripla superdecupartiente septuagesimas: maiorem vero tripla superdecupartiente septuagesimas primas. Neque eius tu demonstrationem vnquam, quantumuis

f 3 omnia